

CAPUT SPECIALE,

ejusq̄ve

SECTIO I.

Exhibens sententiæ erroneæ expositionem & confutationem.

I.



Ntequam ad ipsius Hypotheseos falsæ explicationem progrediamur, prius jure meritoq; in Authores hujus pestilentissimi Erroris inquirimus. Nimirum Monarchomachi hanc impiam Doctrinam in excidium Rerumpublicarum Aristocraticarum & imprimis Monarchiæ invenerunt, atq; hinc etiam nomen suum adepti sunt; bonam aliquando intentionem, recedendi à Machiavellistis, habentes, sed eam pessimè exequentes. Esse verò Machiavellistas, qui nimium Principi & minus populo, quàm par est; contra, Monarchomachos, qui nimium populo & minus Principi quàm decet, tribuunt, tanquam notissimum præsuppono. Carolus autem IX. Rex Galliæ, cum anno 1572. Epochæ Christianæ, consiliis Machiavellistarum persuasus lanienam cruentam Parisinam approbasset, approbatam infami & facinoroso conatu ad finem perduxisset, subditorum animos ita commovit, ut multi Machiavellistica dogmata exosi, Monarchomachorum numero accesserint, atq; sic inciderint in Scyllam, volentes vitare Charybdin, feliciterq; unâ hæresi politicâ superatâ, alteri nomen dederint.

II. Ex his *Stephanus Junius Brutus* vel primum obtinet locum. Hic *vindicias contra Tyrannos* scripsit, quas *Gvilielmus Barclajus lib. 3. & 4. Tractatus* elegantissimi sui contra Monarchomachos elaborati refutat. Quidam sub *S. J. Bruti* nomine *Mornaum*, quidam *Hub. Langvetum*, quidam alium latere existimant. *David Pareus Brutum* excipit, qui *Commentario in cap. XIII. ad Rom. dub. 4. prop. 3. & 4.* Monarchomachiam comprobavit. Quam ob causam liber iste tanquã infectus ac inficiens jussu *Jacobi VI. Oxoniæ* per carnificem publicè in cineres redactus est. Sequitur *Buchanani Dialogus de Jure Regni, & Hottomanni Franco-Gallia*, qui libri satis arguunt, Authores suos esse Monarchomachos. *Hanonium & Albusium* adjicit

cit